

*LLatores veriti sunt incendium acerbum: metus verò & periculum
 ejus cessat, si ultra LX. pedes ab ædibus rogum vel sepulcrum distet.*
 Hodie quidem hæc ratio urgens non est, cum defunctorum 31
 corpora apud nos non comburantur, sed honestè & certis
 quibusdam observatis ceremoniis & solennibus terræ man-
 dentur: nihilominus ob exhalationes putridas & noxias, quæ
 ex sepulcris oriri solent, cœmeteria & sepulcreta ab ædibus
 inhabitantium aliquantisper remota & separata esse debent,
 ne ex aëre, exhalationibus putridis corruptò, corpora vivo-
 rum inficiantur. Magistratui enim incumbit, non tantum 32
 subditorum ægotantium & mortuorum, sed & prosperâ ad-
 huc valetudine utentium curam suscipere, malaque ab iis
 quòvis modò avertere. Sed quid si ex alienis lapidibus sepul- 33
 crum fuerit ædificatum? Ædificia sanè ad Urbis deformitatem
 non licebat ob tigna aliena juncta dirui, sed in locum actionis
 ad exhibendum & rei vindicationis alia specialis actio de ti-
 gnò junctò, ad duplicatum rei pretium consequendum, daba-
 tur. *l. 1. pr. ff. d. tign. junct. l. 6. ff. ad exhib.* Idem quoque hinc di- 34
 cendum videtur, ne sepulcra ad religionis dedecus destruan-
 tur. *l. 1. §. 6. ff. d. mort. infer.* Verum, denegatur quidem lapidum 35
 Domino hinc ad exhibendum actio & vindicatio, sed non ob
 præallegatam rationem, sed quod lapides ita inædificati reli-
 giosi & sic divini ac publici juris facti, ab omni profano homi-
 num commercio exempti sint, ob quam rationem nec remoti
 vindicari poterant, nullâ distinctione inter b. & m. fide ædi-
 ficantem, ut in tignò junctò, admittat *l. 43. ff. d. R. V.* interim
 Domino lapidum succurrebatur per in factum actionem *d. l.*
43. quâ heredes etiam quatuor locupletiores facti essent, tene-
 bantur. *arg. l. 52. d. t.* Exceptio tamen in *d. l. 43.* annectitur, scil. 36
 si antequam mortuus inferatur, & sic ædificiò adhuc purò,
 nec tùm religiosò factò, lapides iterum remoti vel detracti
 essent, sive ut ibi sive ut alibi reponerentur, quòd tunc vera

D

ad